



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Avgvstini Archiepiscopi Tarraconensis Dialogorum Libri Duo de emendatione Gratiani

Agustín, Antonio

Parisiis, 1672

X. De Capitularibus Caroli & Ludovici & aliorum Imperatorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10634

DE CAPITULARIBUS CAROLI
& Ludovici & aliorum Imperatorum.*Dialogus Decimus.*

C. LEGIS Gothicæ heri mentio facta est Joannis octavi tempore, quo jam Gothi in Hispania regnare desiderant ante annos fere centum septuaginta. Annon, amisso regno, leges etiam abrogatæ sunt? Cur in hoc jubetur Concilio ut in Hispania & Gothia hoc decretum addatur legi Gothicæ? Quid Gallis cum Gothia commune fuit? A. Nonne vides Narbonensem antistitem hoc petere? Narbonensis Gallia aliquando Gothia dicta fuit, & Gothorum Regibus paruit; postea se in libertatem vindicavit, & à Francis possessa est. Ea quoque Hispaniæ pars quæ Narbonensi conjungitur, Gothicis legibus usæ est, quibus & Galli Reges, quorum erat tunc suprema potestas, & Comites Barcinonenses urebantur, qui postea soli imperium in his locis obtinuerunt. Neque etiam credas in reliqua Hispania leges Gothicas fuisse abrogatas. Servabantur enim à Christianis. hodièque exstat is liber quod *Forum judicum* appellatur. C. Eum librum editum esse audivi à Petro Pithæo; & habere te scio aliquot hujus libri antiquiora exempla. Estne aliquid ex hoc libro sumptum apud Gratianum? A. Unius tantùm loci memini *a*, in quo de gradibus cognationum agitur *b*,

a *Vvisigo. lib.*
4. tit. 1.
b 35. q. 5. c. 6.
Primo gradu.

quem Isidori nonnulli esse crediderunt. Est autem ex Pauli sententiis & ex earum veteri interprete. Id caput non credo Gratianum ex Gothicis legibus accepisse, sed ex Burchardo *c* aut Ivone *d* aut aliis collectoribus *e*. (1) C. De septem libris Capitularium scire cupio, à quo scripti sint, & qua auctoritate, & quid auxilij ex eis Gratiano adferri possit. A. Quatuor libros Capitularium Caroli Magni & Ludovici Pij ejus filij atque Lotharij Ludovici filij Caroli nepotis Ansegisus Abbas Lobienfis, qui postea Senonensis Archiepiscopus fuit, edidit anno DCCCXXVII. imperij Ludovici Pij anno XIII. Indictione quinta. Primo & tertio libro continentur Caroli Capitularia, secundo & quarto Capitularia Ludovici & Lotharij. Libri singuli ita distinguuntur ut primo & secundo libro agatur de rebus ecclesiasticis, aliis duobus de ceteris rebus. Sequuntur tres libri à Benedicto Levita adjecti, quibus prætermiffa ab Ansegiso Capitularia eorundem trium Imperatorum continentur. Ordinem noli ab eo exposcere. contenti simus ipso collectionis opere; &, ut aiunt, quod dant accipiamus. Omnia ferè sine ulla inscriptione proponuntur, etiamsi ex aliis libris intelligamus cujus sint. Hæc ait fuisse apostolica auctoritate confirmata. nomina Pontificum subtricit, præter Leonem, Sergium, & Gregorium. Sumpfit autem ea ex Maguntina bibliotheca, quæ tribus filiis Ludovici Imperatoris misit, Ludovico, Lothario, & Karolo Regibus.

c Burch. lib. 7.
c. 28.
d Ivon lib. 7.
tit. 12. c. 1.
panor. & par.
9. c. 64. decr.
e Tarrac. lib.
1. c. 272.

C. Quæ à te dicta sunt, eisdem libris confirmantur, an aliorum auctoritate? A. Utrumque proferre possum. Vide præfationem Ansegisi libro primo Capitularium, & alteram Benedicti Levitæ libro quinto, cujus partem refert Ivo f libro secundo Panormiæ & parte quarta excerptorum & liber Cæsaraugustanus g. Adde Sigebertum in chronicis & Joannem Trittenhamium. Et quia de auctoritate Capitularium dubitabas, licet verum sit hæc fragmenta esse constitutionum trium Imperatorum à privatis hominibus collecta, tamen, ut Benedictus ait h, apostolica auctoritate confirmata sunt. Lege etiam verba Concilij Meldensis cap. LXXIIX. *Vt capitula ecclesiastica à Domno Carolo Magno Imperatore necnon & à Domno Ludovico Pio Augusto promulgata obnixè observari precipiantur, sicut & legalia observanda esse noscuntur.* & cap. LXXX. ad Carolum Calvum Ludovici Pij filium: *Capitula patris vestri sine refractione de cetero conserventur, ac capitulis vestra religionis ab exiguitatis nostra ministerio oblati hoc diploma, si complacet, adnectantur.* Sic multa capita referuntur hujus collectionis in Concilio Trosleiano, in Ticinensi, & in Coloniensi sub Carolo tertio. Leonis quarti ex epistula ad Lotharium Augustum verba referunt Ivo i & Gratianus k & liber Cæsaraugustanus l: *De Capitulis vestris vestrorumque prædecessorum irrefragibilibus custodiendis & conservandis, quanto valimur & valemus Christo propitio & nunc &*

f Ivo lib. 2.
tit. 12. c. 11.
panor. & par.
4. cap. 174.
decr.
g Cæsar. lib.
2. c. 33.

h Lib. 7. c.
478. Capitul.

i Ivo lib. 2.
tit. 12. c. 12.
panor. & par.
4. cap. 176.
decr.
k Dist. 10. c.
9. De Capitulis.
l Cæsar. lib. 1.
c. 62.



*in eum conservaturos modis omnibus profite-
mur. (2) B. Exstantne integri septem libri
Capitularium? A. Multa desiderantur, ut no-
tatur in triplici appendice post librum quar-
tum, & libro sexto post caput cclxxxix,
usque ad cccxxx. & libro septimo post ca-
put cccclxxix. ad dlxx. Adjecta sunt
postea duabus collectionibus capita xxviii.
& capita ccxcvi. Ex quo evenit ut non om-
nia quæ Ivo & Anselmus & Deus-dedit &
alij collectores in Capitularibus esse referunt
inveniantur. Sed tempus est ut Gratiani ca-
pita cum hoc libro conferamus. B. Quæ in
legibus Longobardorum esse dicuntur ex Ca-
rolo & Ludovico & aliis Regibus sumpta, eis-
dem verbis scripta sunt quæ in Capitularibus
inveniuntur? A. Inveni nonnulla. Sed melius
sunt in illis legibus, quod habent singula in-
scriptiones suas, & certis titulis collocata sunt.
Non pauca etiam ex his Capitularibus inveni-
untur in Conciliis Maguntino, Parisiensi, Vorma-
ciensi, & aliis. Et suspicor fontem hunc Ca-
pitularium fuisse ipsa Concilia atque conven-
tus in quibus Imperator cum Episcopis &
aliis Consiliariis de rebus tam ecclesiasticis
quàm profanis agebat. Sic in Concilio Tro-
leiano appellantur Conciliorum pedissequa
hæc Capitularia Principum. Apud Gratia-
num distin. lxiii. hanc inscriptionem inve-
nietis: *Ex primo libro Capitularum Caroli &
Ludovici Imperatorum.* Eisdem ferè verbis
utuntur Deus-dedit Cardinalis & Anselmus
Lucensis. Extat lib. i. Capitular. Caroli cap.*

Dist. 63. cap.
34. Sacror.
Deus-d. c. 1.
Ans. lib. 4. c.
41.

LXXXIV. & in additis posterioribus cap. i. In verbis non magna varietas est. Pro *ut Dei nomine* illic scriptum est *ut in Dei nomine*; & pro *potiatur*, *potiretur*; & pro *præbemus*, *præbimus*. (3) Ante hoc caput positum est quod Gratianus caussa xvi. retulit ex libro Capitulorum Caroli & Ludovici. Id Anselmus *m* quoque proximum superiori colloca- vit. Illic tamen est Caroli caput LXXXIII. & in additis posterioribus in præfatione. Varietas non est contemnenda. Pro *verum etiam Deo opitulante conferre optamus* scribe *verum etiam multa Deo opit. con. optamus*. Vocem *multa* habet Anselmus; sed pro *optamus* scribit *temptamus*, quod reicio. Pro illis, *Vt autem ab ecclesiasticis officiis de dividendis rebus Ecclesia suspicionem*, Anselmus habet, *tamen ut ab ecclesiasticis de non vendendis rebus Ecclesia suspicionem*. Libro primo Capitularium est: *tamen ut ab ecclesiasticis de non dividendis rebus illius suspicionem*. & in additis eadem verba sunt, excepta voce *illius*, pro qua est, *ullius Ecclesia*, aptius. B. Non dubium est quin vox *officiis* tolli debeat, cetera ferre possem. A. Post vocem *temporibus* desiderantur hæc: *qui nostram vel progenitorum nostrorum voluntatem vel exemplum imitari voluerint*, quæ etiam Anselmus omisit. (4) Quod apud Gratianum ita inscribitur, *Vnde in libro Capitulorum CLXXV. cap. legitur, Si quem poenituerit &c.* ex interprete Codicis Theodosiani sumptum est lib. ix. tit. de abolitionib. constit. i. quæ secunda est in Codice

16. q. 1. cap.
59. Quia jux-
ta.
m *Anf. d. lib.*
4. c. 42.

2. q. 3. c. 8.
Si quem.

Justiniani. Apud Ivonem quoque inscriptio mendosa est cap. xx. Pro *si cum accusato scribendum si ei cum accusato*. Pro illis, *per obreptionem convenerit de colludis &c.* illic est *per corruptionem de absolute reatus convenerit, is qui reus probatur, remoto colludis pœnam excipiat &c.* Hæc etiam verba non rectè Ivo retulit. Cetera dicentur alio die. Hodie pensum absolvimus.

A D D I T I O N E S.

(1) **L**IBRO priori, dialogo 6. addit. 4. retulimus quid in editione Romana de inscriptione & Notis c. 6. *Primo gradu. 35. q. 5.* scribatur.

(2) De inscriptione capituli noni *De capitulis. distinctin. 10.* actum est lib. 1. dial. 19. addit. 12.

(3) Inscriptio capituli 34. *Sacrorum canonum. distinctin. 63.* in eodem libro hæc est: *Item ex primo libro capitulorum Caroli & Ludovici Imperatorum c. 84.* In margine est: *Al. Capitularium. Et: Ans. l. 6. c. 6.*

(4) Hæc etiam est in eodem libro inscriptio capituli 59. *Quia juxta. 16. q. 1.* Item ex libro primo capitulorum Caroli & Ludovici Imperatorum c. 83. In margine est: *Deus-dedit p. 5. Ans. l. 4. c. 43.* Pro *ut autem est, Al. Tamen ut.* In Notis est: *Ecclesiasticis] Sequebatur officiis. quæ vox neque in vetustis neque in ipso capitulari est. Refertur enim ad homines, non ad officia. Dividendis.] In capitulari impresso legitur, non dividendis. In capitulis autem manuscriptis, quæ ab Episcopis provinciarum Rhemensis & Rothomagensis Ludovico Regi missa fuerunt, hæc habentur ad hunc locum pertinentia: Quia verò Carolus Princeps, Pipini regis pater, qui primus inter omnes Francorum Reges ac Principes res Ecclesiarum ab eis separavit atque divisit, pro hoc solo maxime est æternaliter perditus. Nam sanctus Eucherius Aurelianensis Episcopus &c. Hujus historia mentio etiam*

est in vita beati Eucherij Episcopi Aurelianensis & beati Rigoberti Archiepiscopi Rhemensis. Qualis verò esset huiusmodi ecclesiasticorum bonorum divisio, quam Carolus Martellus induxit, Pipinus autem & Carolus Imperator prohibuerunt, eodem libro primo capitularium ante capitulum istud 83. sic exponitur: Tempore Hadriani Papæ & Karoli Magni Imp. &c.]

(5) Ante caput octavum *Si quem pœnituerit.* 2. q. 3. in eodem libro hæc verba sunt: *Vnde in libro capitularium c. 175. legitur.* Et in margine est: *Cod. Theod. lib. 9. tit. 37. c. 1. in interpretatione.* Et: *Ivo p. 16. c. 251.* In Notis est: *Per obreptionem*] *Apud Ivonem legitur: Factum per corruptionem consensum, de colludio pœnam excipiat legib. constitutam. Sed in interpretatione legis primæ, quæ est in Codice Theodosiano, hoc modo; per corruptionem de absolutione reatus convenerit, is qui reus probatur, remoto colludio pœnam excipiat legibus constitutam.*

DE EADEM RE.

Dialogus undecimus.

C. LATINAMNE vocem, an barbaram, esse dicemus Capitulare sive Capitularia? A. Annon rectè deducitur à capite capitale crimen & capitalis homo? C. Rectè. A. Sic igitur à capitulo *capitularis* & *capitulare* pro *capitulalis*. quod ineptum esset. sic etiam à sæculo sæcularis, ab angulo angularis dicitur. C. Quis ex veteribus Latinis hac voce usus est? A. Non omnium veterum libros habemus. Ex illis deperditis existima hanc erutam vocem fuisse. Acta Capituli multi capitularia dicunt, & syndicum capituli capitularem. Non ineptissimum id qui-